



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Concilium Mantalense, In Qvo Regis Nomen Bosoni Ab Arelatensis regni
episcopis proceribusque delatum est Idibus Octobris, anno Christi
DCCCLXXIX. Ioannis VIII. papae anno VII. Ludouici & Carolomanni ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO CHRISTI 879.

latio, in Aureo triclinio, loco ita dicto, ubi actionem sextam habuerunt, cui imperator interfuit, qui ex suggestione Photii fidei definitionem a Synodo postulavit. Sicque consensu omnium exhibita est definitio fidei comprobata in septem Synodis œcumenicis, contestationibus appositis, ne quid ab aliquo adderetur, vel minueretur omnino: recitatumque est Nicænum symbolum siue Constantinopolitanum dictum. Ita suggillantes Latinos, quod apposuissent verba illa, *Filioque*. His approbatis ab omnibus, subscripsit Basilius imperator, improbans sua subscriptione cuncta quæ contra Photium acta essent in octava legitima Synodo, cui ipse subscriperat una cum filiis, quos & huic Pseudosynodo pariter subscribere voluit. Sicque sexta actio est consummata, acclamationibus præcedentibus.

Post triduum vero, nempe decimatertia mensis Martii, die dominico eiusdem decimæ tertiæ indictionis habita est septima atque nouissima actio in magna ecclesia, ubi iussa est legi fidei definitio in præcedenti actione probata, additis & multiplicatis anathematis, si quis quid ei adderet vel minueret. Sicque absoluta est Photiana Synodus, octava dicta & generalis.

^f *Anno Domini.*] His temporibus hanc Pseudosynodum Constantinopoli celebratam fuisse, testantur Ioannis papæ VIII. epistolæ 199. 201. & 203. aliæve plures, quæ de rebus ad hanc Synodum pertinentibus scriptæ sunt indictione duodecima anno Redemptoris nostri 879. Ioannis papæ septimo, & Basilius imperatoris orientalis supra decimum tertio.

Tempus haberi Concilii.

Vide quæ hac de re notauimus ad Ioannis papæ epistolas 199. 200. 201. 203. 251. Et post finem omnium eiusdem epistolarum supra. Item quæ post octauam Synodum Græce & Latine narrantur de hac Pseudosynodo Photii.

CONCILIVM MANTALENSE,
IN QVO REGIS NOMEN BOSONI AB ARELATENSIS
regni episcopis proceribusque delatum est Idibus Octobris, anno Christi DCCCLXXIX. Ioannis VIII. papæ anno VII. Ludouici & Carolomanni regum primo.

ELECTIO BOSONIS REGIS.

CUM conuenissent sancti patres in nomine Domini saluatoris nostri, conuentum celebraturi apud Mantalam territorii Viennensis, de multis ecclesiæ negotiis tractaturi, & sanctæ sollicitudinis secretarium penetraturi, multis emergentibus, & suimet consideratione cogenti-

Concil. Tom. 24.

Ooo

bus, sacerdotalis affectus ex antiquo patrum cordibus infusus euidenter dictauit ei personæ curam gerere, cuius adminiculo tam in veteri testamento, quam & in nouo, consuevit populo condignum regimen exhiberi. Et quoniam iam olim eiusdem personæ præfidiis tam ipsi patres, quos gratia diuina episcopos vocari concessit, quam principes, & totum vulgus carentes, nullis compatientis succiebantur vel iuuabantur auxiliis, præsertim cum rege communi morte recepto, nullus in eos sua viscera per caritatis largitatem extenderit, anxiani plurimum compulsi sunt, quia non solum in internis per inuisibilem inimicum, sed etiam in apertis per visibiles inimicos, etiam ex his, quos ipsa Christi peperit sancta mater ecclesia, pessumdari funditus videbantur. Itaque dum mentis aciem usquequaque verterent, & simul cum nobilioribus ad hanc necessitatem submouendam, idoneas personas considerarent, non inuenientes qui sui consultationi respondere vellet, utpote negligentibus cunctis tantum laborem ob honorem Dei & sanctorum eius & matris ecclesiæ sumere, omnes inflammati Deum omnium principem pro hac angustia medullitus exorauerunt, ut is qui curam singularem habet mortalium, & cuius dispositio curricula vergit omnium sæculorum, & rectum daret consilium, & euidentis consilii promeret indicium. Denique cui patet omne cor, & omnis voluntas loquitur, fatigatos maiorum & minorum inspiciens animos, quoddam clarescere fecit solatium, & quodammodo præsentauit suffragium. Sane omnibus vnum sapientibus, & per diuinam visitationem idem indiuisibiliter ambientibus, cordi fuit exhibitus homo, iamdudum in principatu domni Caroli defensor & adiutor necessarius: cuius post se filius eiusdem imperatoris, cernens eius insignem prudentiam, amplificare delegerat domnus rex Ludouicus. Ipse etiam non tantum in Galliis, sed & in Italia cunctis enituit, ut domnus apostolicus Ioannes Romenis, instar filii complexus, eiusdem sinceritatem multis præconiis extulerit, & ad suam tutelam, reuertens ad sedem propriam, delegerit. Ergo nutu Dei, per suffragia sanctorum, ob instantem necessitatem, & eam, quam in eo compererunt, expetibilem utilitatem, & prudentissimam atque prouidentissimam sagacita-

ANNO
 CHRISTI
 879.

tem, communi animo, parique voto, & vno consensu, clarissimum principem dominum Bosonem, Christo præduce, ad hoc regale negotium petierunt, & vnanimiter elegerunt. Qui etsi consideratione tantilaboris renuerit, & abdixerit, oppositis his quæ Dei sunt, & eius ecclesiæ, tandem obedienter colla promittendo submisit. Electus autem Deo statuitur, preces funduntur, Domini nostri Iesu Christi gratia, quæ præcessit in velle, in certo perfecto fatis efficax postulatur. Et vt hæc electio præsentibus & futuris certius innotescat, omnium episcoporum subscriptio luce clarius indicat. Actum apud Mantalam publice, anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIX. Idibus Octobris.

ET SVBSCRIPSERVNT EPISCOPI.

Ottramnus archiepiscopus Viennensis.	sanensis.	Richardus episcopus Agathensis.
Aurelianus archiepiscopus Lugdunensis.	Richardus episcopus Agathensis.	Guntardus episcopus Matiscouensis.
Teutrannus archiepiscopus Tarantasiensis.	Guntardus episcopus Matiscouensis.	Rostagnus archiepiscopus Arelatensis.
Rotbertus archiepiscopus Aquisgranensis.	Rostagnus archiepiscopus Arelatensis.	Theodericus archiepiscopus Vefontionensis.
Radbertus episcopus Valentiæ.	Theodericus archiepiscopus Vefontionensis.	Ætherius episcopus Viuariensis.
Bernarius episcopus Gratianopolitanus.	Ætherius episcopus Viuariensis.	Leodoinus episcopus Massiliensis.
Elias episcopus Vasionensis.	Leodoinus episcopus Massiliensis.	Germardus episcopus Arausiensis.
Hemico episcopus Diensis.	Germardus episcopus Arausiensis.	Ratfridus episcopus Auenionensis.
Adalbertus episcopus Mauriennæ.	Ratfridus episcopus Auenionensis.	Vualefridus episcopus Vcetiensis.
Biraco episcopus Vvapicensis.	Vualefridus episcopus Vcetiensis.	Edoldus episcopus Regiensis.
Eustorgius episcopus Tolonenfis.	Edoldus episcopus Regiensis.	
Girbaldus episcopus Cabilonenfis.		
Hieronymus episcopus Lau-		

SYNODI AD BOSONEM REGEM
designatum legatio.

SACRA Synodus Mantalensis, territorii Viennensis, in nomine Domini nostri congregata, simul cum primoribus, inspirante diuinitate summæ maiestatis, sincera deuotione vestram prudentiam, clarissime princeps, adit, petens addiscere vestra certissima responsione, qualem vos

Concil. Tom. 24.

Ooo ij

velitis in principatu, quo vos sublimari per diuinam misericordiam optamus, omnibus ostendere. Si videlicet honorem Dei omnipotentis, & dilectionem in fide catholica veraciter quaesituri estis, & ecclesiam illius pro viribus exaltaturi. Si vultis omnibus, sicut boni principes qui vos praecesserunt, & quorum formam literis & fama nostis, legem, iustitiam, & rectum concedere & seruare: tenentes humilitatem, quae est fundamentum virtutum, cum patientia, & animo sereno, humillimo, ad damnandum incondito, sed in omnibus iuste promissis stabili, & certo, bene per Dei gratiam preparato & ornato, sobrietate competenti venusto. Qui sitis accessibiles omnibus recta suggerentibus, & pro aliis intercedentibus, quarentes magis prodesse, quam praesse, sequentes vestigia sanctorum principum, calcantes iram, sauitiam, duritiam, auaritiam, cupiditatem, indignationem, & superbiam. Iustus patricius vestris maioribus & minoribus apparentes, veritatem ore & opere praefereutes, salubre consilium libenter audientes, monstra vitiorum declinantes & persequentes, virtutes amantes, defensionem & mamburgium singulis exhibentes. vt neque eadem sancta Synodus, & primates vestri cum ea sentientes nunc de vobis in bonitate maledicantur, vel detrahantur in futuro, neque sacro vestro principatui, nobis, vt credimus, profuturo iuste derogetur: sed sit pax & veritas sanctorum suffragiis, per diuinam gratiam, praetatis & subditis, sacerdotibus & illis commissis primatibus, dum eis auctoritatem euangelicam & apostolicam cum iusta lege humana consenseritis & obseruaueritis, vt per omnia & in omnibus benedicatur Deus. Precatur etiam sacerdotalis & laicalis fidelitas, vt faciat vestra prudentia vnumquemque in vestra domo suum vas possidere in sanctificatione & honore.

BOSONIS REGIS ELECTI
AD SYNODVM RESPONSI O.

SACRATISSIMAE Synodo, & cunctis primoribus nostris fidelibus, humilis Christi vernaculus Boso. Primum vestrae sincerissimae deuotioni gratiarum actiones corde & ore rependo, quod, licet immerito, sola vestra beneuolentia, per incommutabilem Dei gratiam, amplecti me

ANNO
CHRISTI
879.

visceribus vestris ad liquidum comperio. Pariter quoque, quod feruor vestrae caritatis ad id officium me promoueri diuinitus optat, vt mea paruitas matri meae, quae ecclesia Dei viui est, ob immortalem remunerationem decertare valeat. Ego autem, conscius meae conditionis & fragmenti fragilis, imparem me iudicans tanto negotio, omnimodis abnuissem, nisi per Dei nutum vobis cor vnum datum & animam vnam in vnum consensum aduertissem. Obediendum itaque pro certo cognoscens inspiratis a Deo tam sacerdotibus, quam nostris amicis & fidelibus, non reluctor, nec audeo, vestris iussionibus. Quod vero requisistis, qualem me praebere vellem in committendo per Dei misericordiam in regimine futuro, & simul ostendistis normam, & instruxistis dogmate sacro, libentissime suscipio. Amplector catholicam fidem, in qua & nutritus sum, quam purissimo corde teneo, ore veracissimo pronuntio, pro qua paratus sum impendi & superimpendi, si sic placuerit Domino Deo nostro. ecclesiarum priuilegia, iuuante Domino nostro Iesu Christo, restaurare & conseruare, & iustitiam per vestrum commune consilium curabo. Omnibus, vt monuistis, legem, iustitiam & rectum mamburgium, auxiliante Deo, conseruabo, & impendere curabo: quo sequens praecedentium bonorum principum vestigia, tam sacris ordinibus, quam vobis nostris fidelibus, consulere certam aequitatem seruando. De moribus meis, licet me peccatorem pra omnibus sciam, voluntatem meam hanc esse veraciter assero, vt per omnia morigerum bonorum, & in nullo malorum ostendam. Si autem, quoniam homo sum, contra quemlibet animo excessero, secundum vestrum consilium corrigere curabo. In quo precor reuerenter, vt quod iustius & rationabilius inueneritis, mihi congrue pro tempore & loco suggerentes, vos ipsos in me honoretis: quoniam & ego, si quis vestrum in me deliquerit, emendationem rationabiliter accessibilis factus expectabo. euangelicam & apostolicam auctoritatem cum iusta lege sequar humana, vt ipso praeduce & comite, per omnia & in omnibus benedicatur Deus. De domo nostra, sicut me monuistis, quia Deus in sanctis habitat, sollicitudinem adhibebo, & vt decenter quisque incedat, studiosissime procurabo. Igitur, domini

mei, sacrosancti pontifices, ecclesie summi Dei nostri prae-
fules, & vos omnes nostri fideles, primates & subprima-
tes, confisus de Dei gratia & auxilio, per sanctorum eius
suffragia, quia vestris iussionibus faueo, precor vos & ob-
secro, vt per ipsum, & cum ipso, tam piis ad ipsum inter-
uentibus, in tanto subeundo labore meam necessitatem
& humilitatem iuuetis, quam etiam humanis adminiculis
& auxiliis pro posse suffragari mihi certetis. Quod si cui
displicet, & aliter animo tenet, quaso patenter edicat, &
se nobiscum in nullo decipiat. Simulque precor per carita-
tem, qua feruetis, vt communi fauentes vtilitati, tridua-
nis solenniter precibus Dominum Deum nostrum cum
plebibus vobis commissis exoretis, vt propter peccata
mea, vel leuitatem meam, vos, aut me ad deceptionem
populi sui nequaquam errare permittat, sed suam ex hoc
voluntatem misericorditer ostendat.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

^a *Concilium Mantalense.*] Ex verbis Paradini, qui hanc Synodum
primus in lucem dedit, subscriptiones concinnauimus, seriem secuti
episcoporum quos interfuisse narrat. Confirmant porro episcopi
quod modo adstruebamus; nam Ludouicum Calui filium regem
vocant, non imperatorem.

CONCILIVM ROMANVM IV.
QVO ATHANASIVS EPISCOPVS SIMVL
& princeps Neapolitanae vrbis, propter foedus cum
Saracenis in initum excommunicatus est.

NOTA.

Anastasius
Neapoli-
tanus epi-
scopus &
princeps.

^a *Concilium.*] Athanasius Neapolitanus episcopus simul & prin-
ceps olim a Ioanne papa epistola 66. 161. & 162. plurimum lauda-
tus, in transuersum actus, & in arcum prauum conuersus scelestissimus
euasit. De ipso enim Leo Ostiensis libro 5. capite 42. ista habet:
*Idem vero Athanasius princeps illi, nempe Sergio, subrogatus, firmata
cum Saracenis pace, Beneuentum, Capuam, Salernum, Romanque de-
populari cum eis cepit, multaque tunc monasteria & ecclesia cum villis &
urbibus impiorum incendio conflagrarunt.* Haec Leo. Post foedus cum
Saracenis contractum Ioannes papa per epistolam 251. & 256. eum
admonuit, vt foedus cum barbaris in initum dissolueret, & nisi pareret,
anathematis sententia feriendus esset. Imo quod magis est, ipse Ioan-